



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam  
emissæ. In Deuteronomium**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae**

**VD16 B 9247**

Capvt XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36133**

**H**Actenus uidimus dona dei in Saule, nemo potuit ne suspicari quidem malum de eo, sed profundum est cor hominis & inscrutabile, etiam ipsi homini. Tentatio uero et necessitas hypocrisis declarat. Sequentia igitur declarant hypocrisis eius & impietatem, & q̄ querit in omnibus sua, incredulus deo & uir sanguinum cōtra proximum, quales sunt omnes hypocrita utcūq; sancta specie ad tempus imponant iudicio humano. Hic uidere licet usq; ad mortē Saulis quid sit regnare aut administrare quippiam absq; fide, habere dona dei & abuti, id est, non fidere deo nec timere deum. Nihil inuenies in historia Saulis quod sapiat fiduciā in deū, mera diffidentia sunt omnia, mera temeritas, mera hypocrisis & ambitio, & tamen optimus in omnibus rex uidetur. Non facile inuenies aliud exemplum in quo apertius hypocrisis humani cordis descripta sit.

Elegit.] Quæ prudentiæ militaris sunt exequitur. Ceterum q̄ confidit in talibus & in exercitu, indicatur statim infra, nam disfluente populo diffidit, sicut omnes qui confidunt in re quoq; salutis suo arbitrio, sapientia, uiribus, iustitia, non deo &c. Ionate autem filij eius fiduciam in deum, non tacuit scriptura infra cap. 14. Vnde fortis est per deum & fortia facta facit, sed ex quibus gloria accedit patri, qui uelut animo per deū forti irruit strenue in hostes ubi uidet rem

sic 1 Co 9 qm  
→ fundati sūt  
lapidi fidei: ref

bene succedere, ut uides hic & sequenti cap. & fingit apud semetipsum, q̄ deo optime cōfidit, nec aliud nouit &c. Itaq; sola tentatio probat hypocrisim & diffidentiam nostram, non solum alijs sed etiam nobis.

Arena.] Hyperbole.

Bethel.] Id est domus dei, alio nomine dictus est Bethauen, id est domus idoli, ppter idololatriā quā loco cultus dei illic impij exercebant, maxime tempore Hieroboam & post eum, qui constituit illic uitulū aureum &c. Tametsi omnes Israelitæ ex Eber Ebræi dicti sint, ut supra uides ubi dicitur, Audiant Ebræi, & uniuersus Israel audiuit, tamen ex hoc loco uidentur quidam tunc p̄ ceteris ista appellatione fuisse insignes in terra Gad & Galaad.

Iuxta placitum Samuelis.] supra cap. 10.

Tentatio Saulis describitur, q̄ dilabatur populus, q̄ Samuel expectatus non uenit, & diffidentia quasi necessitate coactus sacrificat, nō expectato Samuele, contra dei uerbum. Hypocrisis non credit uerbo dei, ad opera confugit, desperat, & tamen placationē dei hoc ipsum putat quod est dei ignominia, ut infra cap. 15. uidebis. Stulte agit qui plus instantem timet necessitatem quā dominum. Talia sunt omnia opera & cultura dei illorum qui uerbū dei non suscipiunt. Quicquid enim est sine fide, peccatum est. Iccirco Saulem abijcit deus qui deum abiecerat. Hoc iudicium interim

mūdus non uidet. Nam Saul & postea inter homines regnat, cuius regnum Stephanus ait quadraginta annis durasse.

Quæsiuit.] Prophetat de regno Dauidis &c.

Tres cunei.

Vt ab omni parte concluderent Israelitas & prædarentur uastarentq; omnia, quemadmodū in Hebræo dicitur &c.

Porro faber.

Misera seruitus significatur Israelitarū qua hæctenus presierant à Palestinis. Insignis est hæc figura aduersariorum populi dei. Cauent ne habeant gladium & arma, id est uerbum dei, quo se tueantur aduersus ipsorum seductiones & tenebrarum regnum, prohibentes laicis ne legant uerba sacra, alijs ne aliter intelligant quā ipsi uelint, ut uerbum dei seruiat Palestinis non Israelitis. Sic gladium & arma interpretatur Paulus Ephe. 6.

## CAPVT XIII.

**S**Aule cessante & non audente in aduersarios propter paucitatē exercitus, deus insigni miraculo edit exemplum fiducie in deum per Ionatan & armigerum eius, quo declaret non in uiribus humanis esse uictoriam &c. Hic redit ad regem populus, & rex fugientes